



## The Holy See

---

**PAULUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *MYSURIENSIS (CHIKMAGALURENSIS)* \*A**

**DIOECESI MYSURIENSI QUIBUSDAM DETRACTIS TERRITORIIS, NOVA DIOECESIS CONSTITUITUR,**

«CHIKMAGALURENSIS» NOMINE. Indicae regionis condicio, eius scilicet prope immensa populorum multitudo, itemque prosperior in dies rerum catholicarum felicitas propensioem quidem a Nobis in eam requirit voluntatem. Optima enim spe ducimur, ut Christi religio quam latissime et ibidem praedicetur et, aptioribus oblatis subsidiis, ab incolis suscipiatur. Quae de re, libenter accepimus quod Sacrum Fidei Propagandae Consilium faciendum constituit, novam nempe e dioecesi Mysuriensi dioecesim condere, audito antea hoc super negotio Moderatore Generali Societatis Parisiensis missionum ad exterarum gentes, cui eadem dioecesis adhuc concredita fuit. De suprema deo et apostolica potestate Nostra a dioecesi, quam diximus, civiles districtus distrahimus, quibus appellatio per vulgus Shimoga, Chikmagalur et Rasan, ex iisque novam dioecesim constituimus, *Chikmagalurensis* appellandam iisdemque circumscribendam finibus ac territoria e quibus fit. Haec circumscriptio suffraganea erit metropolitanae Sedi Bangalorensi; item eius Episcopus metropolitanis iuris Archiepiscopi Bangalorensis subdetur. Eam praeterea curis saecularis cleri nativi concredimus, haud sane dubitantes quin in maximum catholicae Ecclesiae bonum hoc sit cessurum. Praecipimus etiam ut Chikmagalurensis sacrorum Antistes sedem suam ponat in urbe Chikmagalur, magisterii vero sui cathedram in sacra aede, eadem in urbe exstante, Deo sacra in honorem Sancti Ioseph; ut pro Canonicis consultores dioecesanos deligat, qui auxilio et consilio assint; ut denique minus saltem Seminarium struendum curet, iis pueris recipiendis et efformandis, qui Dei instinctu ad sacerdotium vocentur. Ad haec omnia demum perficienda Apostolicum in India Internuntium delegamus, cuius rogatu nova Chikmagalurensis dioecesis fundata est. Is autem poterit etiam alium delegare, dummodo ecclesiastica sit insignis dignitate. Qui autem rem ad exitum adduxerit, documenta de more exarari curabit ad Sacramque Congregationem de Propaganda Fide mittere, rite signata atque sigillo impressa.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic

haberetur, si ostenderetur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus Nostri primo.*

<p>IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius</p>	<p>GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN S. Congr. de Prop. Fide Praefectus</p>
---	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Josephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Caesar Federici, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 11, pp. 666-667 © Copyright 1963 - Libreria Editrice Vaticana